



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom: A. V: 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-
cinum Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponens
Antitheria Doctrinæ petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.



THESES THEOLOGICÆ
DE ECCLESIA,
ejusq; NOTIS:

Quibus quatuor præcipua argumenta à Papistis ad Papatum suum fulciendum agitata, suis momentis ponderantur, & ad pleniorẽ dissertationem proponuntur:

Quas,

DIVINA ASPIRANTE GRATIA:
PRAESIDE

JOHANNE VVINCKEL-
MANNO, SS. THEOLOGIAE DOCTO-
re & in Academia Marpurgensi Professore, publicè pro virili defendere conabitur

M. CUNRADUS THEODORICUS
Gemundensis ad VVohram, Hesus.

Ad diem 13. Augusti in auditorio Theologorum.



MARPURGI, ex officina Egenolphica. MDCCXCVI.



Handwritten: Hc 6



39





THESES THEOLOGICÆ.

THESIS I.



Ecclesiam intelligimus cœtum hominum doctrinam Christi profitentium & utentium Sacramētis divinitus institutis, in quo sunt Electi juxta prædefinitionem Patris, qui nimirum renati per Spiritum sanctum in Christum credunt, atq; finem fidei animarum salutem consequuntur.

2. Hos Electos, quos Dominus novit Paulo teste, 2. Tim. 2. vers. 19. Ecclesiam invisibilem, totam autem congregationem doctrinam Christi in universo orbe quaquã patet profitentium, visibilem appellamus, in qua illi velut frumenta in paleis, aut triticum inter zizania degunt.

3. Hæc ex Judæis & gentibus collecta universalis, & ejus singulæ partes secundum diversas regiones & loca considerata particulares dicendæ sunt; qua ratione Romana, sicut & Hierosolymitana, Antiochena, Constantinopolitana, Augustana, Marpurgensis, particulares fuerint.

4. In quibus autem doctrina Christi in omnibus suis partibus juxta sermonem Prophetarum & Apostolorum purè & sincerè prædicatur, & Sacramenta divinitus instituta ex præscripto Christi legitimè administrantur, hæ puræ, sinceræ, orthodoxæ, & incorruptæ: quæ verò verbi Dei prædicationem habent, sed impuram & depravam, nec Sacramentorum usum undiquaq; integrum & purum, hæ impuræ, corruptæ, hæreticæ, schismaticæ censentur.

5. Et cum varia doctrinæ cœlestis capita, ac circa singula singuli variiq; errores sint, varii etiam impuritatis modi & gradus sunt, & proinde aliæ aliis impuriore.

6. Porro notas Ecclesiæ puræ, orthodoxæ & incorruptæ proprias dicimus esse puram verbi Dei prædicationem, legitimum Sacramentorū usum, purumq; & legitimè institutum ministerium.

A 2

7. Cum

7. Cū enim pura verbi Dei adnunciatio, & Sacramentorum legitima dispensatio sit propria Ecclesiæ puræ nota, omninò necesse est idoneos esse homines, quibus legitima ratione illud ministerium committatur.

8. Ex quo certam *διάρταξιν* invocandis & constituendis ministris Ecclesiæ necessariam esse sequitur.

9. Extra omne autem dubium illud, quo Ecclesia congregatur & constituitur, gignitur & alitur, vera & genuina, ac nullo modo fallax ejus nota est. Sed verbo Dei & usu Sacramentorum congregatur, constituitur, gignitur & alitur Ecclesia. Ergò verbum Dei & usus Sacramentorum est propria & minimè fallax nota Ecclesiæ.

10. Quæ rem circumstant externè & ei communiter accidunt, fallaces ejus notæ sunt, sed quæ eam constituunt, gignunt & conservant, illa omnium certissima signa sunt.

11. Assumptio suffulta est plurimis sacrarum literarum perspicuis testimoniis, quorum aliqua saltem subjiciemus:

Summus Magister noster Apostolos suos hoc mandato instructos ablegat: Euntes ergò docete omnes gentes: baptisantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque præcepi vobis, Math. 28. v. 19. & 20.

Paulus vocat se *κλῆρος* Jesu Christi in gentes, sacrificantem Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata per Spiritum sanctum, Rom. 15. v. 16.

Renari non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem viventis Dei & manentis in æternum, 1. Pet. 1. v. 23.

Progenuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiæ quædam suarum creaturarum, Jac. 1. v. 18.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, Joh. 3. v. 5.

Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, Tit. 3. v. 5.

Unus panis, unum corpus multi sumus, 1. Cor. 10. v. 17.

12. Quemadmodum verò verbo divino & usu Sacramentorum plantata & educata est Ecclesia, ita etiam à verbo illo tanquam viventis Dei voce pendere tenetur, sicut multa divinarum literarum pronuntianta testantur:

Ad

DE ECCLESIA EJUSQ; NOTIS.

Ad legem & ad testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis aurora, Esa. 8. v. 20.

Qui ex Deo est, verba Dei audit, Joh. 8. v. 47.

Oves meæ vocem meam audiunt, Joh. 10. v. 27.

Si vel nos vel angelus è cœlo evangeliset vobis, præter quod evangelisavimus vobis, anathema sit Gal. 1. v. 3.

13. Ubi igitur hæc vox Dei incorrupta & pura auditur & recipitur, ibi incorrupta fides, ibi status Ecclesiæ integer & incorruptus.

14. Hæc vox Dei in libris Canonicis scripturæ sacræ continetur certò & indubitato, ut quæcunq; ab illis dissonant dogmata de fide & moribus, in eisq; fundamentum non habent, pro Dei voce agnoscenda non sint.

15. Nam omnia quæ nos scire & credere oportet de fide & moribus, sacræ literæ sufficienter multis locis expressa continent.

16. Unde gentium Apostolus in novo Testamēto legem & Prophetas ut regulam fidei & cultus proposuit, Act. 24. v. 14. Sic colo, inquiens, patrium Deum, credēs omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt.

17. Sin verò quicquam aliud ad cultum esset necessarium, si quicquam aliud observasset Paulus, tum argumentum, quo suam fidem & pietatem demonstrare instituerat, fuisset insufficientis.

18. Idem se nihil testificari ait, parvis aut magnis, EXTRA EA, quæ Prophetæ dixerunt futura, Act. 26. v. 22.

19. At quæ in veteri Testamento sunt prædicta, illa in novo sunt impleta, & Evangelistarum & Apostolorum literis consignata. Ergò extra hanc scripturam nihil amplius ad veram fidem & pietatem necessarium requiritur.

20. Christus jubet Judæos scripturas scrutari, in quibus videmini, inquit, vitam habere æternam, Joh. 5. v. 39.

Abrahamus diviti petenti Lazarum in domum patris sui mitti, ad testificandum fratribus suis, ne etiam illi in locum damnationis venirent, respondet: Habēt Moysen & Prophetas, hos audiant, Lu. 16. v. 27. & 28.

21. Si verò præter Moysen & Prophetas ullum aliud verbum aut traditio Ecclesiæ ad adipiscendam vitam æternam, & cruciatus infernales evitandos esset necessaria: tum instructio Christi & Abrahami esset manca & mutila.

22. Reliqua argumenta alibi proposita, & à nostris sæpiùs inculcata

jam omittimus & sic inferimus: Testamentum comprobatum plenam & perfectam continet testatoris voluntatem, ita ut nemini liceat illud rejicere vel aliquid superaddere, Gal. 3. vers. 15. Sed Codex sacer per omnem Ecclesiam vetus & novum Testamentum inscribitur. Ergo plenam & perfectam continet testatoris Dei voluntatem in lege & Evangelio, ut nemini liceat aliquid addere.

23. Contra hanc veritatem sic Pontificii obganniunt: Verbum Dei divinis libris comprehensum nequaquam fidei fundamentum, Canonem, aut purè prædicatum & receptum, purioris & incorruptæ Ecclesiæ notam esse posse, cum illud ipsum hæretici etiam pro se allegent, & Augustino & Hilario testibus opinionum & hæresium suarum fundamentum in eo quærant, imò ipse Diabolus scripturam adversus Christum protulerit, qui tamen nullo modo Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ membrum sit.

24. Respondemus, si boni & mali lege utantur, & hi illa abutantur, anne propterea lex non fuerit regula recti & pravi? Si duo in judicio litigent, & uterq; jus pro se alleget, anne idcirco jus non erit norma justii & injusti, & ex jure justitia administrari non debet? Omnino sanè debet, cum licet ab altera parte depravetur, nihilominus in sua integritate & luce superemineat, & sententiam justam ferat.

25. Cum Pharisei & Sadducei ex scripturis contra Christum differere conantur, ipse ex disertis scripturis eos errare scripturasque nescire convincit, & errores illorum ex lege & Prophetis refutat, Matth. 22. vers. 32. & ibidem vers. 29.

Sicut ex iisdem ostendit Messiam esse Deum, Matth. 22. v. 47. Et consuetudinem Judæorum quavis ex causa uxores suas dimittentium ex prima institutione scripta redarguit, Matth. 19. v. 4. & 5.

Ex scriptura docet Messiam pati, resurgere, & sic in gloriam suam introire debuisse, Luc. 14. v. 26. & 27.

Idem ex scriptura docet, sui noticiam & fidem esse Dei donum: Scriptum est, inquit, in Prophetis: Et erunt omnes docti à Deo, Jo. 6. v. 45.

Apollos per scripturas ostendit Jesum esse Christum, Act. 18. v. 29.

26. Satanas quidem adversus Christum scripturas manifestè mutilatas profert, sed Christus ex scripturis collatis ipsum refellit, Matth. 4. v. 6.

27. Augustinus, quæ eadem Hilarii sententia est, affirmat, omnes quidem hæreticos ex scripturis falsas & fallaces suas opiniones conari defendere,

fendere, sed manifestissima divinatorum testimoniorum, & consona voce convinci, lib. 3. de Trin. c. 3. & 6.

28. Et idem Ecclesiam in scripturis quærendam disertè contra Donatistas contendit, lib. de Unit. Ecclesiæ c. 3. Sunt certè libri Dominici, quorum auctoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, utrique servimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.

29. Insuper verò obloquuntur: Non scriptura aut litera, sed sensus efficit ut sis Apostolicus, quia scriptum est: Declaratio sermonum tuorum illuminat, Ps. 119. v. 130.

30. Hic si quæras, unde petendus sit sensus aut declaratio scripturæ? Nos scripturæ sensum esse dicimus ipsam scripturam, vel hunc esse scripturæ sensum, quem ipsa suis verbis vel propriè vel figuratè acceptis gignit, & si loci occurrant obscuriores, illos ex clarioribus, atq; sic scripturas ex scripturis interpretandas esse judicamus.

31. Quæ ratione fiet, ut nulla recipiatur declaratio vel interpretatio, quæ non perpetuo divinarum literarum tenori sit consona.

32. Cùm enim ipse Deus per Prophetas locutus sit, Ebr. 1. v. 1. & sancti Dei homines acti à Spiritu sancto locuti sint olim, 2. Pet. 1. v. 21. Manifestum est scripturam ipsius Spiritus sancti vocem esse, qui quid sentiat, suis verbis nobis explanat.

33. Pontificii contra ab Ecclesia sensum scripturæ petendum affirmant, quæ Spiritum sanctum habeat, Concil. Trid. Sess. 4.

34. Ecclesiam autem interpretantur patres, quorum consentiens interpretatio sit scripturæ sensus.

35. Nos sanè sanctorum patrum labores magnificimus, & nos non parùm illis juvari concedimus, sed tamen ita legendos censemus, ut ea quæ divinis literis consona dicunt, cum ipsorum laudè recipiamus, in quibus verò ab illis dissonant, ea bona ipsorum cum pace mittamus.

36. Quid si non rarò in interpretatione dissentiunt? Et quis alios, quorum scripta non extant, illis, quorum monumenta nos habemus, consensisse in omnibus nobis certò persuadebit?

37. Quæ de causa alii nos remittunt ad concilia confirmata à Papa, tanquam summo totius Ecclesiæ Pastore, vel ad Papam ceu summum Pastorem cum concilio aliorum Pastorum, Bell. li. 3. c. 3. de verb. scrip.

38. Verùm alii, quod non semper, quoties difficultas occurrit, concilium congregari possit, simpliciter Papam summum interpretem scriptu-

THESES THEOLOGICÆ

Scripturæ, & iudicem controversiarum constituunt.

39. Atq; ita scilicet existimant in pectore Papæ, omnia jura divina & humana scripta esse, cui nequaquam obnitendum sit.

40. Concilia quod attinet, errasse illa non semel constat.

41. Deinde concilia olim congregata non omnem scripturam declararunt, sed tantum controversias suorum temporum deciderunt, & veritatem adversus hæreticos quosdam asseruerunt.

42. Quæ rectè definiverunt, illa non aliundè, nisi ex scripturis definirunt, & ex scripturis, quod & singuli patres ante & post conciliorum definitiones fecerunt, confutarunt.

43. Itaq; non ipsi sensum invenerunt, ad quem scripturæ accommodandæ fuerunt, sed scripturæ ipsæ diligenter lectæ, meditatæ & collatæ suis verbis patribus sensum verum præbuerunt, quem Spiritus sanctus cuivis pio attentè divinas literas legenti, meditati, oranti, offert.

44. Atq; hoc est, quod Constantinus Magnus in Concilio Nicæno positus in medio sacris libris agebat: Evangelici libri sunt & Apostolici, antiquorumq; Prophetarum oracula, quæ nos manifestè instruunt, quid sentiendum sit de rebus divinis. Sulciamus igitur ex sermonibus divinitus inspiratis quæstionum solutionem.

45. Verum Papæ quis tantam dedit auctoritatem, ut vel Concilia ipse cogat universalia? vel scripturas ἀνυπερδύνας interpretetur? Quis illum summum totius Ecclesiæ pastorem & Episcopum constituit? Quis nos certiores faciet ipsum definiendo & interpretando non errare? Cùm omnis homo mendax sit, Ps. 116. ver. 11. Et papa etiam sit mendax? Cùm sæpius erraverit fœdissimè? Quem nos Antichristum esse multis argumentis demonstramus.

46. Profers illud Lucæ 22. v. 32. Oravi pro te, ne deficiat fides tua.

47. Resp. Audimus hæc de Petro dici, quæ de Papa intelligenda esse quis nos convincet? Papa ipse sic cenlet? Haud æquum verò postulatum, nos illius iudicio alligatos esse oportere, cujus sententiæ num standum sit, controversatur.

48. Majore igitur auctoritate, nimirum ipsius Spiritus sancti in scripturis loquente opus est, nisi Papam vel æqualem Spiritui sancto facere, vel supra ipsum efferre velint Papistæ, quæ ipsius Antichristi nota est, 2. Thes. 2. v. 4.

49. Restat Apostatæ cujusdam iudicium: hunc scilicet esse scripturæ verum

DE ECCLESIA EJUSQ; NOTIS.

verum & Apostolicum sensum, qui per Spiritum sanctum quovis tempore in Ecclesia cum Apostolis & postea publicè traditus sit: quem sic coarguimus.

50. Primùm, Apostolorum tempore Spiritus sanctus alium sensum in Ecclesia non tradidit, nisi qui ipsis Apostolorum, qui nihil extra legem & Prophetas docuerunt, Act. 26. v. 22. scriptis expressus est.

51. Quum autem Ecclesia ædificata sit supra fundamentum Prophetarum & Apostolorum, Eph. 2. v. 20. Ex illorum scriptis, & non aliunde totam Ecclesiam, & quotquot in ea sunt, quomodo sapiendum, quidq; de Christo & omnibus salutis mysteriis credendum, haurire oportet.

52. Hinc Christus scripturas scrutari jubet, Joh. 5. v. 39. Hinc Beroënes ad scripturas tanquam ad stateram appendebant, quæ à Paulo & Sila dicebantur, Act. 17. v. 11.

53. Proinde si in Ecclesia Romana multa dogmata propugnantur, quæ ex scriptis Prophetarum & Apostolorum apertis & claris demonstrari non possunt, imò quæ illis adversantur, ut sunt Missæ sacrificium propiciatorium pro peccatis viventium & demortuorum, transsubstantiatio, mutilatio cœnæ, ἀπολαΐσία, invocatio sanctorum, cultus imaginum, purgatorium, cœlibatus Sacerdotum, &c. Consequens est, Ecclesiam Romanam de his doctrinæ capitibus sensum Apostolicum nequaquam tenere.

54. Deinde aliquot seculis post tempora Apostolorum illa tradita esse liquidò docere Pontificii non possunt. Ergò ab hominibus postea excogitata, & à Spiritu sancto minimè profecta sunt.

55. Videamus jam argumenta, quibus Papistæ hoc tempore magno strepitu fidem & Ecclesiam suam Pontificiam veram & Apostolicam esse evincere se posse existimant.

56. Primùm sic arguunt: Illa fides nequaquam vera esse potest, quæ unius anni, imò unius horæ spacio, nedum aliquot continua secula in toto mundo deleta est, vel non quovis tempore ab Apostolis usque ad nos publicè in uno aut pluribus locis orbis terrarum ab una aut pluribus Ecclesiis, ab uno aut pluribus hominibus credita atque exercitata fuerit.

Fides quæ in Augustana confessione anno 1530. potentissimo Imperatori Carolo Quinto Augustæ in Comitibus exhibita, & in Catechesi Lutheri ab Ecclesiis Augustanæ Confessioni subscribentibus jam mul-

vos annos recepta continetur, mille quingentos, aut mille ducentos annos, si à Luthero retrorsum numeres, ne quidē in unico loco totius orbis tradita aut credita fuit: Ergò vera & Apostolica fides non est, & per consequens Ecclesiæ illā amplexæ veræ & Catholicæ Ecclesiæ non sunt.

57. Opponimus primùm huic argumento immotam nostram demonstrationem: Illa omninò vera Apostolica & orthodoxa fides est, quæ pro fundamento habet firmissimum sermonem Propheticum & Apostolicum scripturis Canonicis contentum, eique in omnibus suis partibus consona est.

Fides in Augustana Confessione & Catechesi Ecclesiarum Augustanæ Confessionis comprehensa, vel ad literam in scripturis sanctis expressa est, vel solidè in ea fundata: ita ut nulla sui parte revera ab illis dissonet. Ergò fides illa vera & Apostolica, atq; Ecclesiæ veræ & Apostolicæ sunt.

58. Propositio nititur manifestis scripturis suprâ allatis, quæ Ecclesiâ ad legem & testimonium astringunt, & super fundamentum Prophetarum & Apostolorum superstructam, quin ex illo natam, educatam & propagatam docent.

59. Secundò, cum in propositione argumenti adversarii dicitur, fieri non posse, ut illa vera sit fides, quæ in mûdo vel ad annum vel ad horam extinguatur, intelligendum est illud vel de fide, ut est ἐνδιάθετος, id est, ut intus est in corde, atq; sic impossibile est ullo tempore in mûndo deesse electos vera fide præditos: vel de fide ἀποφαντικῶν seu externa confessione, hanc aliquando sic latere, ut eo loco, ubi occulti fideles sunt, alii fideles ibidem degentes nullos fideles agnoscere queant, divinæ literæ ostendunt.

60. Non agnoscebat Elias tantus Propheta; currus & auriga Israël, septem millia omnia genua quæ se non curvaverant ipsi Baal, 1. Re. 19. v. 18.

61. Prophetæ de corrupto sui temporis ministerio ordinario conqueruntur.

A Propheta usq; ad Sacerdotē omnes faciunt mendacium, Je. 6. v. 13.

Speculatores ejus cæci, universi ipsi nihil norunt: Sacerdotes non dixerunt, ubinam (est) Jehova: Et tenentes legem non noverunt me, & Pastores prævaricati sunt in me, Prophetæ prophetarunt in Baal, & postea, quæ non profuerunt, ambularunt, Jer. 2. v. 8.

Lex peribit à Sacerdote & consilium à senioribus, Ezech. 7. v. 26.

Dies

Dies multi Israëlī absque Deo vero, & absq; Sacerdote, Doctore, & absq; lege, 2. Paral. 15. v. 3.

62. Corrupto ministerio populus in tenebras ruit, ut quid deceat, quid non, quò virtus, quò ferat error, nesciat. Cùm non est visio, dissipatur populus, Prov. 29. v. 18.

63. Unde de populo Prophetarum querelæ extant: Hæc est gens quæ non obtemperavit voci Jehovæ Dei sui, nec recepit disciplinam: perit veritas, & excisa est ab ore ipsorū, Je. 7. v. 28. ubi de defectione populi ad idololatriam Prophetæ sermo est, ut sequenti vers. 30. & 31. indicant.

64. Ita ergò colligimus: Si in veteri Testamento tanta fuit *συσκοία*, ut qui in ordinario fuerunt ministerio, ad idololatriam prolapsi sint, nec ullus eorum suum fecerit officium, unde ipse populus iisdem abominationibus etiam involutus est;

Sequitur idem in novo Testamento contingere potuisse. Verum est prius. Ergò & posterius. Ratio consecutionis hæc est: quia populus veteris Testamenti æquè atq; Ecclesia novi Testamenti electus Dei populus fuit, sicut scriptum est; Elegit Jehova Sion, expetivit, ut esset habitaculum sibi, Ps. 132. v. 13.

65. Hujus populi fuit adoptio & gloria, & fœdera, & legis constitutio, & cultus, & promissiones, Rom. 9. v. 4. Unde nulli nationi taliter Dominus fecisse dicitur, Ps. 147. v. 20.

66. Dederat Jehova Aarōni & filiis ejus sacerdotium in statutum perpetuum, Exod. 28. v. 1. & 29. v. 9.

67. Non defuturos illis Doctores promiserat: non elongabitur ultra Doctortuus: videbuntq; oculi tui Doctorem tuum, Esa. 30. v. 20.

68. Breviter, tanta Dei erga hunc populum benevolentia, tanta dilectio fuit, quanta erga Ecclesiam novi Testamenti est, nec minus certas, solidas & præclaras promissiones illi, quoad præsentiam, protectionem & conservationem, atq; huic fecit.

69. Verùm illæ conditionem hanc includebant, si verbo audientes & obtemperantes essent: Si obediendo obedieritis voci meæ, & custodieritis pactum meum, eritis mihi thesaurus dilectus præ omnibus populis: Si in decretis meis ambulaveritis, & præcepta mea servaveritis, & feceritis ea; ponam tabernaculum meum in medio vestri, neq; abominabitur vos anima mea. Ambulabo in medio vestri, eroque vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum, Lev. 26. v. 3. 11. & 12. Jehova vobiscum,

B 2 cum,

cum, cum fueritis cum eo, & si quaesieritis eum invenietur à vobis: Sin-
verò de reliqueritis eum, derelinquet vos. 2. Paralip. 15. v. 2.

Obtemperate voci meæ & ero vobis in Deum & vos eritis mihi in
populum, Jerem. 7. v. 23.

70. Cum ergo posthabito Dei verbo sacerdotes & populus sub judi-
cibus & regibus in horribilem idololatriam prolapsi sint, quidni idem
populo novi testamenti accideret?

71. Imò si Judæi naturales rami excisi sunt, omninò videndum, ne
gentes præter naturam in veram oleam insitæ excidantur, Rom. 11. v. 21.

72. Et sanè magnam seductionem & defectionem secuturam esse,
Christus & Apostoli eius prædixerunt:

Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ & dabunt signa magna
& prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi,
Matth. 24. v. 24.

Ne quis vos decipiat ullo modo, quoniam (non adveniet adven-
tus Domini) nisi venerit defectio prius, & revelatus fuerit homo ille
scelerosus filius perditionis, qui est adversarius, & effertur adversus om-
nem, qui dicitur Deus aut numen, adeò ut in templo Dei sedeat o-
stentans seipsum esse Deum: & paulò post; cuius adventus secundum o-
perationem Satanæ cum omni potentia & signis ac prodigiis menda-
cibus. 2. Thes. 2. v. 3. 4. 9.

73. Ita Johannes in Apocalypsi futurum ait, ut cum meretrice illa
magna (quam dicit esse civitatem magnam, quæ habet regnum super
reges terræ) scortaturi sint reges terræ, inebriati scilicet, de vino pro-
stitutionis eius, Apocal. 17. v. 2. Et rursus cap. 18. v. 3. De vino iræ scorta-
tionis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum ea scortati sunt &
mercatores terræ de virtute deliciarum eius divites facti sunt. De qua
seductione etiam cap. 13. v. 16. & 17. prædixerat.

74. Quò pertinet quod paulus scribit: Spiritus certò loquitur, quòd
in posterioribus temporibus desciscant quidam à fide attēdentes Spi-
ritibus impostoribus ac doctrinis Dæmoniorū, per simulationem fal-
siloquorum, cauterio notatam habentium conscientiam, prohibenti-
um contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, quos De-
us creavit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus & iis, qui
cognoverunt veritatem, 1. Tim. 4. v. 1, 2, 3.

75. Quod ipsum etiam Petrus prævidit, cum ita nobis proditum reli-
quit: Fuerunt autem & Pseudoprophetæ in populo, quemadmodum
& in-

& inter vos erunt falsi doctores, qui clam inducent sectas perniciosas, & Dominum, qui illos mercatus est, abnegates, accersentes sibiipsis celerem interitum. Et pleriq; (*πολλοι*) sequentur illorum exitia, per quos via veritatis maledictis afficietur, & c. 2. Pet. 2. v. 1. & 2.

76. Docent hæc non semper in Ecclesia incorruptum ministerium doctrinae q; puritatem vigere, nec eandem semper Ecclesiae esse faciem. Non semper pleno fulgore splendet, ut tempore Apostolorum & paulo post, sed instar lunæ sua habet incrementa & decrementa, & nonnunquam planè latere & etiam deliquium pati videtur.

77. Ita enim justus Deus superioribus seculis in Papatu mundum ob summam ingratitude & contemptum verbi punire voluit, ut Paulus testatur: pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt in hoc, ut salvi fierent, mittet illis efficaciam illusionis, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed approbant injustitiam, 2. Thess. 2. v. 2. 11. & 12.

78. Veruntamen sicut Magister noster Christus turbas & discipulos de Scribis & Phariseis sui temporis monet, in cathedra Moysis sedent Scribae & Pharisei: Omnia ergo quaecunq; jusserint vos servare, servate & facite, Matth. 22. v. 2. Et tamen idem præcipit, ut videant & caveant sibi à fermento, id est, doctrina Phariseorum, Matth. 23. v. 6. & 12. indicans illos doctrinam quidem legis è cathedra recitasse, sed tamen suum etiam fermentum, id est, falsam doctrinam aspersisse: Ita etiam præteritis temporibus divina providentia factum, ut Pastores Ecclesiarum è cathedra textus scripturæ sanctæ, Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium *πεικοπας*, historiam passionis Christi, capita doctrinae Catecheticae populo proposuerint, & licet isti postea in interpretatione suum fermentum admiscuerint, tamen pii verbo divinarum literarum attendentes inde salutis suæ fundamentum didicerint & firmiter tenuerint.

79. Fieri potuit, ut stipularum aliquid aut errorum infelicissimis istis seculis arripuerint, istis tamen exustis, ipsi Christo petrae salutis innixi animas suas servaverunt.

80. Hinc illa Ecclesiarum nostrarum doctrina in Papatu publicè tradita & literis etiam prodita est: Credendum quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: Quod nihil prorsus habere possis boni operis, nisi & hoc dederit ipse: Quod aeternam vitam nullis possis operibus promereri, nisi gratis detur & illa, si credas,

T H E S E S T H E O L O G I C A E

74. peccata tua non posse deleri, nisi ab eo cui soli peccasti & in quē peccatum non cadit, benè facis; sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimoniū, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicēs; dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus gratis justificari hominem per fidem. Bernh. ser. 1. in annun. beat. Mariæ.

81. Ut autem nos istas sententias toto pectore amplectimur, ita cum dogmatibus pontificiis de merito congrui & condigni, de propriis satisfactionibus & dubitatione, an simus in gratia, pugnant.

82. Hinc morituri iussi sunt in Christum Jesum filium Dei mortuum credere, huius morte sola se totos contegere: huic morti se involvere, inter iudicium Dei & se, malaq; sua merita Christi mortem obicere, hos dixerunt securos mori, & mortem non visuros in æternum. In speculo artis benè moriendi.

83. Sed in mediis illis tenebris non defuerunt reges, Episcopi & alii, qui Papam Romanum ipsum Antichristū agnoverunt, tyrannidem eius detestati, & quædam dogmata ut verbo Dei adversaria damnaverūt, quorum nonnullos Antichristus ille sustulit, quemadmodum Spiritus S. prædixit, mulierem istam ebriam fore de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu, Apoc. 17. v. 6.

84. Etsi igitur alia Ecclesiæ Apostolicæ primitivæ, uti ab Apostolis plantata est, facies & splendor fuit: semper tamen mansit etiā corruptissimis temporibus Ecclesia Apostolica, id est, manserunt semper pii & Electi, qui doctrinā Apostolicam in nudo textu propositam tenuerūt falsa interpretatione, ut fermento, abjecta, aut si quibus erroribus implicati fuerunt, fundamento tamen illis in igne tentationis, ut stipulis, exustis inhæserunt.

85. Adducunt sanè adversarii pro opinionis suæ confirmatione dicta scripturæ, quæ tamen dextrè explicata nostræ sententiæ nequaquam efficiunt.

86. Nam cum Christus promittit suis Spiritum S. ut maneat cum illis in æternū, Joh. 14. v. 16. eosq; ducat in omnem veritatem, Jo. 16. v. 13. adimpleta est hæc promissio, primum in ipsis Apostolis, quibus suggestit Spiritus S. eandem veritatē, quam antea à Christo audiverant, sed non perceperant: Spiritus S. docebit vos omnia & suggeret (ὁπομνήσει) vobis omnia, quæcunq; dixi vobis, Johan. 14. v. 26.

87. Im,

87. Impletur in Ecclesia, quam docet mediatè per verbum, quatenus illa huic lucernæ attendit, non errat, si minus, involuitur erroribus.

88. Deinde quod Paulus Ecclesiam vocat columnam & stabilimentum veritatis, 1. Tim. 3. v. 15. non eo sensu dicit, quod Ecclesiæ tanquã primario fundamento veritas innitatur, sed quod ipsa superstructa super fundamentum Prophetarum & Apostolorum summo angulari lapide Jesu Christo illam veritatem libris Prophetarum & Apostolorum contentam & non aliam conserveat, de ea testetur, illam vindicet & ad posteritatem trãsmittat, ut inde solùm homines repudiatis omnibus hominum commentis rationem consequendæ salutis per fidem in Christum, verum Dei cultum, moresq; sanctos discant.

89. Qua ratione locus ille aded non patrocinator Romanæ Ecclesiæ, ut cum in multis capitibus pro veritate mēdaciū, pro vero cultu idolatriam magna crudelitate propugnet, potius ab Apostolica Ecclesia, de qua Apostolus loquitur, longissimè eam recessisse arguat.

90. Ita omnes promissiones de præsentia Christi & Spiritus sancti cum Ecclesia sua includunt conditionem auditus verbi & obedientiæ, Domino testante: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas vos liberos reddet, Joh. 8. v. 31. & 32.

Oves meæ vocem meam audiunt, Johan. 10. v. 17.

Omnis qui transgreditur & non manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui manet in doctrina, hic & patrem & filium habet, 1. Johan. 2. vers. 9.

91. Quod medium si homines negligant & aspernentur, tum non minus errant, quàm olim Sacerdotes & populus in veteri Testamento, in quorum medio tum Dominus tabernaculum suum fixerat.

92. Interim tamen semper Dominus Electis suis adest, eosq; Spiritu suo per verbum regit & in æternum non deserit.

93. Reliqua scripturæ dicta, quæ hoc loco Pontificii cumulant, ea agunt, vel de doctrina pœnitentiæ & remissionis peccatorum in omnes gentes & fines terræ factò initio Hierosolymis propaganda, ut Esai. 2. vers. 2. & 3. & cap. 60. versu. 3. & seq. Luc. 24. versu. 47. Matth. 24. vers. 14. Act. 1. vers. 8. Atque illa ipsorum Apostolorum
& viro

& virorum Apostolicorum ministerio per aliquot secula adimpleta sunt, sicut Paulus scribit suo tempore Evangelium prædicatum esse apud universam creaturam quæ sub cælo est, Colof. 1. v. 23. vel de institutione ministerii Ecclesiastici publici eiusq; conservatione ad proclamandam doctrinam Christi per omnia tempora usq; ad finem mundi, Rom. 10. v. 15. Eph. 4. v. 11. Esa. 62. v. 6. Matth. 20. v. 6. & 22. v. 3. 4. 9.

94. Isthæc autem nequaquam efficiunt Papam ipsum, qui se summum & universalem in mundo Episcopum venditat, aut Cardinales, aut Episcopos alios esse istos præcones, qui non ita ut Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ, Pastores & Doctores à Christo missi doctrinam cælestem ipsi prædicant & propagant, sed officio docendi passim neglecto tota vitæ suæ genere ab illorum instituto discrepant, imò dogmata Evangelio Christi contraria defendunt.

95. Quin Papam Romanum esse ipsum Antichristum in templo Dei pro lubitu dominantem, & mulierem istam purpuratam cum qua scorati sunt omnes gentes & reges terræ, & inebriati sunt, Apoc. 17. v. 2, & 18. v. 3. non levibus argumentis demonstrare possumus, sicut talem superioribus seculis agnoverunt & publicè testificati viri præclari.

96. Quum verò Reges, qui nutritores Ecclesiæ esse debebant, de vino prostitutionis hujus meretricis omnes biberint, atq; omnes gentes; quum omnes pusilli & magni, & divites & pauperes, & liberi & servi accipere characterem in manu sua aut in frõtibus suis coacti sint, Apoc. 13. v. 16. ubi tum purum & incorruptum ministerium invenire licuit? Imò si qui errores Pontificum Romanorum & totius cleri agnitos, redarguerunt, illi igne & gladio absumpti sunt.

97. Quod igitur Hilarius ad Auxentium scribit, Ecclesiam potius in cavernis delitescere, quàm in primariis sedibus eminere, idem de superioribus ætatibus regnante in templo Dei Antichristi tyrannide dicimus, sicut Spiritus sanctus Ecclesiam fugituram in solitudinem, in locum sibi à Deo paratum prædixit, Apoc. 12. v. 6.

98. Nec tamè promissionis divinæ de cõservatione ministerii à Christo ad sonãdam usq; ad finem seculi doctrinã Christi instituti veritas excidit.

99. Nam ministerium Apostolorum non unà cum ipsorum ex hoc seculo migratione exspiravit, sed in scriptis viget perpetuò usq; ad reditum Domini ad iudicium, ex quibus voluntatem Domini disertè propositam cognoscere hominibus licuit.

100. Sed & doctrina de Christo passo, mortuo & resuscitato ejusq; beneficiis, de fide & bonis moribus publico ministerio proposita fuit.
101. Etsi enim Papa & Episcopi ejus, Pastores Ecclesiarum & presbyteros sibi ad Missas celebrandas, & falsa dogmata tradenda astrinxerunt: tamē admirabili Dei providentia factum, ut quemadmodum Pharisei & Scribæ in cathedra Moysis sedentes legem olim populo proponebant, qui hætenus audiendi erant, & nihilominus tamen ab ipsorum fermento cavendum: ita etiam isti superiorum temporum Pharisei textus Biblicos, historiam passionis, Evangelia Dominicalia & Epistolas, capita doctrinæ Catechetiæ publicè legerent, & licet suum fermentum in interpretatione admiscuerint, electi tamen simplici Dei verbo attendentes missis hominum commentis fide Christi salvarentur.
102. Ad quos pertinet promissio Christi, Math. 16. v. 18. Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam.
103. Et de his etiam accipiendus est locus Jer. 33. v. 18. & 22. quem Pontificii ad suos sacrificulos rasos falsè referunt.
104. Nam omnes verè Christiani sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, 1. Pet. 2. v. 9. Quos Christus dilexit & lavit à peccatis suis per sanguinem suum, & fecit eos Reges & Sacerdotes Deo & patri suo, Apocal. 1. vers. 6. Arque hi omnes offerunt Deo sacrificia justitiæ, vitulos labiorum, præbentq; corpora sua hostiam sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum, Roman. 12. vers. 1. Hæc de primo argumento.
105. II. Argumentum ejusdem cum præcedente farinae est, quæ quod de nostra fide & Ecclesia negatè, idem de Romana affirmatè concludunt Papistæ, nimirum fidem Pontificiam esse veram, puram & incorruptam, atq; iccirco omnibus consecrandam.
106. Impossibile est, illam fidem falsam esse, quæ ab Apostolis usq; ad nos, omni tempore, omnibusq; locis Ecclesiæ Christianæ pro Christiana sine contradictione unius aut alterius etiam publicæ & cōtinuatæ Ecclesiæ ab omnibus, de quibus constat, sanctis habita est:
- Quæcunq; hodie in Ecclesia Pontificia vel Romana (quam Catholicam vocant, cum tamen particularis sit) de justificatione, de Missa, invocatione sanctorum, purgatorio, cœlibatu, & similibus creduntur, omni tēpore ab omnibus sanctis publicè notis à mille annis, & inde usq;

C

ab Apo-

ab Apostolis credita sunt: Ergo &c. Et per consequens cum una fides, & una vera Ecclesia, non duæ, Eph. 4. 1. Tim. 3. sequitur illam veram, & Lutheranam per omnia falsam esse.

107. Ad propositionem respondemus fidem ab Apostolis publicè prædicatam, Ecclesiamq; Catholicam per universum terrarum orbem ab illis plantatam, esse veram, puram, & incorruptam, ad quam tanquam ad normam & stateram fides & dogmata sequentibus temporibus in Ecclesiis particularibus, ubicunq; illæ fuerunt, tradita, examinanda & pensanda sunt.

108. Hæc fides ab Apostolis prædicata omnium rectissimè & plenissimè ex scriptis Apostolorum cognoscitur, ut supra & aliàs ostensum est.

109. Etsi autem libri Prophetarum & Apostolorum Dei voluntate consignati, ut columna & firmamentum veritatis essent, primis matricibus Ecclesiis traditi, & ab illis adversus contradicentes vindicati, singulariq; Dei cura huc usque conservati sunt: tamen à puritate doctrinæ libris illis comprehensæ paulatim Antichristo iam tum mysterium iniquitatis in falsis Doctoribus operante discessum, atque ita inclinationem doctrinæ factam esse, multorum scriptis demonstratum, donec tandem ipse Antichristus in templo Dei sedens se supra omne, quod Deus est & dicitur, extulit, & penè universalis illa, cuius antea mentio facta, defectio consecuta est.

110. Nisi ergo Pontificii omnia sua dogmata ex manifestis scripturæ testimoniis vel argumentis bona consequentia ex illa extractis evincant, nunquam nos sibi consentientes habituri sunt.

111. Et etiam si vel mille aut plures annos à Luthero retrorsum numeratos (quod tempus est Domini Antichristi in templo Dei) ista recepta & credita esse doceant: semper tamen illos ad primam Ecclesiam Apostolicam in scripturis fundatam & depictam revocabimus, eisq; Canonem occinemus: quæ ab initio non valuerunt, successu temporis valere non possunt.

112. Christus longam divortiorum consuetudinem Iudæis usitatam aboliturus, ad primam coniugii institutionem suos revocat, ab initio, inquit, non fuit sic, Math. 19. v. 8.

113. Et huic Apostolicæ veritati nulli hominum quantalibet sanctitate polleant, præiudicaverint, cum si vel angelus de cælo aliud Evangeliser,

geliset, præter id quod Apostoli Evangelisarunt, anathema sit, Gal. i. v. 1. Et hæc de secundo argumento jam sufficient.

114. Tertiò requirunt à nobis Pontificii, ut qui Augustanæ Confessionis fidem in scripturis sanctis fundatam amplectimur, doceamus, nos spirituales, vel Spiritu Dei illuminatos verum scripturæ sensum proferre, siquidem animalis homo non percipiat ea quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor. 2. v. 14.

115. Documenta quibus hoc fieri necesse sit, sex præscribunt. 1. testimonium Prophetæ. 2. Præcursoris Prophetæ, qui Lutherum vel alium virum illuminatum digito monstraverit, sicut Johannes Baptista Christum. 3. Vocem de cælo. 4. Miracula. 5. Effusionem Spiritus Sancti in forma aspectabili. 6. Continuatam & non interruptam successionem, qua ab Apostolorum tempore usque ad ipsum sensum illum scripturæ iam olim miraculis confirmatum esse fidem faciat.

116. Resp. Quòd homo naturali mentis lumine eorum quæ sunt Spiritus Dei, minimè capax sit, spiritualis verò omnia intelligat & dijudicet, largimur.

117. Sed quæ efficiunt ut homo sit spiritualis?

Ex auditu fides, auditus autem per verbum Dei, Rom. 10. vers. 17. Diligens igitur scripturæ sacræ lectio, & meditatio cum discendi studio conjuncta (ubi à verbo Spiritus sanctus minimè abest) illuminat mentes, ut scriptum est; lex Jehovæ perfecta, convertens animas, testimonium Jehovæ fidele, sapientem efficiens parvulum, Ps. 19. v. 18.

Ostium verborum tuorum illuminat, intelligere facit simplices, Ps. 119. v. 30.

Lucerna pedi meo verbum tuum, & lumen semitæ meæ, ibidem vers. 105.

Ex præceptis tuis intelligentiam mihi comparavi, propterea odi omnem semitam mendacii, ibid. v. 104.

118. Accedat Oratio: Revela oculos meos &c. doce me statuta mea, dirige gressus meos: & dabit pater cælestis Spiritum S. petentibus se, Luc. 11. v. 13.

119. Tum veniat tentatio, in qua pius homo quilibet Satanæ, rationi humanæ, carni & sanguini obloquentibus, omniq; contradicenti veritati os obstruit.

Ubi ipsa experientia deprehendit id quod Psaltes dicit, Jehovaham propè adesse, & omnia præcepta ipsius esse veritatem, Psal. 119. vers. 151.

120. En habent Pontificii hominem spiritualem, cuius cor & animum Dominus novit, nobis autem inde innotescit, quòd firmiore sermone Prophetico instructus, non dat locum mendacio. Qui ex Deo est, verbum Dei audit, Johan. 8. Qui manet in doctrina Christi, Deum & patrem habet, 1. Joh. 2. v. 9.

121. Atque ita jubentur omnes Christiani spiritus probare, an ex Deo sint, 1. Joh. 4. v. 1. Omnia probare, & quod bonum est tenere, 1. Thess. 5. vers. 21.

122. Beroënses quotidie scrutabantur scripturas, an ita se haberent, quæ à Paulo & Sila proponebantur, Actor. 17. vers. 11. Qua in parte non carnales, sed spirituales erant, quemadmodum & Apollos potens in scripturis, institutus in via Domini, & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Domini. Unde? Vehementer Judæos revincebat publice, ostendens per scripturas quòd Jesus esset Christus, Act. 18. vers. 25. & 26. Et tamen hic nullis extraordinariis testimoniis fuit ornatus.

123. Nec Esdras Scriba post reditum ex captivitate miraculis aut aliis signis commendatus legem docebat, interpretabatur & ad illius normam cultum instaurabat. Neh. 8. v. 3. 4. 5. & c.

124. Quibus extraordinariis testimoniis commendatus Bernhardus Eugenium Papam summum, scilicet, Pastorem totius Ecclesiæ, cui tamen erranti, vel mille animas secum in barathrum inferni abducenti non dicendum erat, quid facis? Inclamare audebat? Quo jure Papa hæc (agit de jurisdictione) sibi vendicat? Nō certè Apostolico jure. Neq; enim Petrus quod non habuit, dare potuit, & c. Cur fines alienos invadis?

125. Audiant hinc Papistæ judicium Cancellarii Parisiensis & Panormitani: Ita ille: Prima, inquit, veritas staret, quod aliquis simplex, non autorizatus esset tam excellenter in literis sacris eruditus, quod plus esset credendum in causa doctrinali suæ assertioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim plus esse credendum Evangelio quàm Papæ. Item: talis eruditus deberet in casu & dum celebraretur generale concilium, cui & præsens esset, illi se opponere, si sentiret majorem partem ad oppositum Evangelii, malitiâ vel ignorantia declinare. Hic verò sic sentit: In concernentibus fidem etiam dictum unius privati præferendū esse dicto

dicto Domini Papæ, si ille moveatur melioribus rationibus Veteris & Novi Testamenti, quàm Papa.

126. Quod si privatus quilibet non sanè donis eximiis ut Prophetæ, Christus & Apostoli, verùm scripturis non mutilatis, sed integris & incorruptis instructus præ Papa fidem meretur: Quantò magis minister Ecclesiæ Christi, cuius labia custodire debent scientiam, ex cuius ore lex requirenda, Malach. 2. v. 7. audiendus est, si Veteris & Novi Testamenti rationibus veritatem adserat & errores refutet? Ubi præter scripturarum olim à Prophetis immediatè vocatis divinitusq; cōmendatis prolatarum autoritatem nulla confirmatione opus.

127. Sed hoc, inquiunt adversarii, rectè dicitur, si is qui prætexit Evangelium causæ suæ, maneat in Ecclesia illa, in qua olim miracula edita sunt, quæ continua successione miracula ista ad confirmationem veritatis sic olim patrata esse hucusq; testificata est, undè certi esse queamus, illū sicut olim fideles Spiritus S. Ecclesiæ promissi participè esse.

128. Profectò si totam hanc Papistarum rationem in ipsos retorquere liberet, quæreremus non abs re: An illi spirituales sint, qui præter varios errores idololatriam, multis sceleribus, Simonia, crudelitate, Magia, fœdissimis libidinibus, &c. cooperti fuerunt?

129. Atqui hos sibi non interrupto vel paulò post cōsuto rursus filio successisse gloriatur, ad quos tota Hierarchia tanquã ad caput referatur.

130. Deinde negamus nos secessisse ab Ecclesia quæ & quatenus libros Propheticos & Apostolicos tanquã omnis sensus & intellectus Canonē & regulam ad nos transmisit & commendavit, licet Papatui, Antichristi tyrannidi, idololatriæ, traditionibus humanis, corruptelis scripturæ, & omnibus, qui præter & extra scripturam in Ecclesiam inventi sunt erroribus & abusibus valedicamus.

131. Nec obstat, quod qui in populo Dei sunt, falsi Doctores libros illos tradunt, qui tum non transmittunt, quod suum est, sed quod Ecclesiæ bonum est, cuius ipsi iniqui possessores existunt.

132. Et hinc, quid de hac *φλυαρία* sentiendum, cuius apparet: Si Ecclesia Romana libros sacros nobis tradidit, ita ut de illorum certitudine & veritate dubitandum nobis sit minimè, quid nî verum etiam sensum tradidisset? Aut si verum sensum non tradidit, dubitare nobis licebit etiam de librorum veritate: Quid si libros depravasset perinde ac sensum?

133. Sensus est in libris ipsis explanatus, à quibus si receditur, error obrepit. Pharisei legem proponebant, & hæcenus verum sensum omnibus recipiendum. Sed in interpretatione fermentum aspergebant suum, & hæcenus mittendi tanquam cæci & cæcorum duces.
134. Sed quàm non benè cohæreat hoc quod texunt Pontificii; Si Ecclesia Romana tradidit libros incorruptos, etiam sensum tradidit incorruptum, cum utrunq; ab uno pendeat principio Spiritu S. vel hinc manifestum evadit: Judæi tradiderunt nobis Mosen, Psalmos & Prophetas, unde ab Augustino Christianorum scriniarii dicuntur. Annè ideò etiã verum sensum, nisi quatenus in ipsis libris incorruptus est?
135. Ecclesia Orientalis non minus quàm occidentalis libros sacros posteritati tradidit. Annè ideò in omnibus verum sensum? Si Romanenses aiunt, cur igitur illam Papa excommunicat?
136. Singularem autè Dei beneficio factum, ut libri neq; perturbatissimis tēporibus aboleri potuerint, licet id Tyranni latagerent, sed semper conservati sint, ut essent fidei ac vitæ norma accuratissima, ex quibus electorum Ecclesia semper verum sensum didicit.
137. Quod si adversarii miracula urgeant. In nostris oculis hoc est mirabile, quòd unius primùm contempti Monachi calamo, voce & prædicatione potentia & autoritas Papæ omnibus Imperatoribus, Regibus & principibus, mandata præscribentis & excommunicationis fulmine illos terrentis, brevi temporis spacio magis per Germaniam & alia regna infracta & imminuta est, quàm superioribus seculis potentissimorum Imperatorum armis.
138. Unde factum, ut passim merces negotiatorum Romanensium hominibus sordere cœperint, Apoc. 18. v. 11.
139. Quam ruinam regni Pōtificii & instaurationem cœlestis doctrinæ manifestato Antichristo, securam Spiritus S. prædixit 2. Thess 2. v. 8. Apoc. 14. v. 6. & 7.
140. *Quartum Argumentum* restat: Impossibile est illam Ecclesiam & fidem veram esse, quæ nullos legitimè sive immediatè sive mediatè à Deo vocatos ministros habet, siquidem illam ordinationem qua Christus à patre missus, misit Apostolos, Joh 20. v. 21. & Apostoli alios constituerunt presbyteros, Act. 14. v. 23. 2. Timoth. 1. v. 6. Tit. 1. v. 5. ita continuari & conservari oportet usq; ad finem mundi.
- Atqui Lutherus & alii ipsius *παράστατου*, multoq; minus illorū successo-

cessores neque immediatè neque mediatè à Deo vocati sunt.

Ergo illorum Ecclesia & fides vera esse nequit, neq; audiendi sunt

141. Ad confirmandam propositionem multos præter rem cumulant scripturæ locos, de missione ministrorum Ecclesiæ, cum tamè nos haud gravatè adsentientes habeant.
142. Fieri tamè posse dicimus personam non legitimè vocatã sed intrusam sanam fidem docere posse, sicut vicissim legitimè vocatã vel in successione ordinaria constitutam doctrinam corrumpere.
143. Præterea neq; hoc largimur, vocationè non esse legitimam nisi ab aliis in Ecclesiastico munere constitutis fiat.
144. Quid si enim illi suo muneri defint, & falsa doctrina imbuti, seu lupi sinceros doctores Ecclesiæ præficere & ordinare recusent? Anne illa pastore careat?
145. Ibi Ecclesia mater familiæ, quæ ut Cyprianus ait, maximè potestatem habet dignos ministros eligendi, & indignos reiiciendi, vocare & confirmare idoneos ministros potest.
146. Et sanè Paulum & Barnabam cum legimus *χειροτονῆσαι* discipulis per Ecclesias presbyteros, intelligimus Ecclesiæ suffragia accessisse.
147. Quòd verò negant Lutherū & alios symmystas ab Ecclesia mediatè vocatos, falsum est.
148. Nam fuerunt pastores & Doctores à suis Ecclesiis vocati, & ad docendum ab aliis eadem cum ipsis forma ordinati.
149. Quæ vocatio ipsorum omninò hoc flagitabat, ut agnitos per Domini gratiam errores deinceps deponerent, & veritatem commisso sibi gregi traderent.
150. Qua de causa frivolum est quòd nugantur illos non ad hanc novam doctrinam vocatos esse.
151. Si enim antecessores eorum cæci & cæcorum duces officio defuerunt suo, anne idem ipsis deprehensis iam erroribus & abusibus, quibus Ecclesia involuta fuerat, deinceps faciendum? Et non hoc potius, quod Apostolus presbyteris præcipit: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine, Act. 20. v. 28.
152. In eo sanè officiū boni pastoris fecit Lutherus cõcionator, cum auditores moneret, ne indulgentiariorum clamoribus aures præberent, idq; ex præscripto Canonum.

153. Nee minus in eo rectè fecit, cum Archiepiscopus atq; in primis ordinariū loci, ut vocant, monuit, ut malo ita grassanti in Ecclesia medicina adhiberent.

154. A quibus cum contēneretur, & ipsi officium suū negligerent, meritò ille in hoc ut concionator incubuit, ut Ecclesiam suæ fidei commissam rectè ex præscripto verbi Dei informaret & ut Doctor Theologiæ disputando & scribendo corruptelas doctrinæ, errores & abusus coargueret.

155. Quod ipsum deinceps alii sic excitati præstiterunt.

156. Si clamitant Papistæ, Lutherum & alios ipsius *ἐπίσκοπος* non fuisse Episcopos, atq; ideò alios instituere haud potuisse pastores & Doctores, dicimus hanc nullius momenti exceptionem esse, quia scriptura inter Episcopos & presbyteros differentiam ignorat, cum & hi Episcopi & illi presbyteri sint.

157. Nam Paulus accersitos ad se presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ Episcopos appellat à Spiritu S. gregi Christi præpositos, quorum munus est attendere sibi & cuncto gregi, Act. 20. v. 17. & 8,

158. Idem in Ecclesia Philippensium agnoscit Episcopos, Philip. 1. v. 1. Ergo eosdem presbyteros, siquidem aliàs secundum Papistas non nisi unus unus loci Episcopus esse possit.

159. Idem ad Titum scribit: Hujus rei gratia reliqui te in Creta, &c. Ut constituas oppidatim presbyteros, sicut ego tibi ordinaram, Tit. 1. v. 5 Et mox quæ sint partes Episcopi subjicit, v. 6. & 7. Ergo presbyteri illi erant Episcopi.

160. Idem testatur impositionem manuum penes presbyterum fuisse, 1. Tim. 4. v. 14. Id quod in Ecclesiis olim observatum esse legimus.

161. Quamobrem in Ecclesiis nostris instituuntur pastores & presbyteri juxta formam ab Apostolo Paulo præscriptam & ipsis veteribus canonibus convenientem ut præeunte de personæ nominatæ donis, doctrina & vita cognitione, quæ penes ministerium est, intervenientibus publicis precibus & alio legitimè vocato & ordinato ministro manus imponente illa Ecclesiæ non invitæ, sed consentienti commendetur, atq; ita ad docendi munus capeffendum & obeundum confirmetur.


162. Sed argumentum adversariorum in ipsos retorquere facile nobis esset: Si Papa, Archiepiscopi, Episcopi, aliiquè prælati ad regulam Apostolicam exigendi essent, oportet Episcopum irreprehensibilem esse, *ἰδακίμων*, id est, aptum ad docendum, 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. & 9.

163. Quotus quisq; hic idoneus futurus esset? Ut non dicam de malis artibus & illicitis mediis, quibus non pauci ad Papatum & Episcopatus perverunt.

F I N I S.

Errata: Thes. 58. lin. 2. lege, *continuis seculis*: thes. 79. lin. 3. lege, *servaverint.*

ada



99 A 6906

ULB Halle 3
002 633 388




52

6

VD17

Rehe 0







29



THESES THEOLOGICÆ
E ECCLESIA,
ejusq; NOTIS:

quatuor præcipua argumenta à Papistis ad Papam
fulciendum agitata, suis momentis ponde-
ratis, & ad pleniorẽ dissertationem proponuntur:

Quas,

VINA ASPIRANTE GRATIA:

PRAESIDE

ANNE VVINCKEL-
D, SS. THEOLOGIAE DOCTO-

Academia Marpurgensi Professore, publicè pro
virili defendere conabitur

NRADUS THEODORICUS
mundensis ad VVohram, Heflus.

diem 13. Augusti in auditorio Theologorum.



GI, ex officina Egenolphica. Clō Io xcvi.



Hc 6

